Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1542
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

deus facere celum et terram. respondendum est eis. ut prius vim discant voluntatis.
humane, qui voluntatem dei nosse desiderant. Causas voluntatis dei scire querunt.
cum voluntas dei omnium que sunt ipsa sit causa. Si enim habet causam voluntas
dei. est aliquid quod antecedat voluntatem dei, quod nefas est credere. Qui ergo dicit quare
fecit deus celum et terram respondendum est illi. quia voluit. Voluntas enim dei causa est
celi et terre, et ideo maior est voluntas dei quam celum et terra. Qui autem dicit quare voluit
facere celum et terram maius aliquid querit quam est voluntas dei, nichil autem maius inveniri potest.
Compescat ergo se humana temeritas, et id quod non est non querat. ne id quod est non inveniat.
Et si voluntatem dei nosse quisque desiderat fiat amicus deo, quia si voluntatem hominis
nosse quisque vellet cuius amicus non esset. omnes eius inprudentiam atque stultitiam
deriderent. Non autem quisque efficitur amicus dei, nisi purgatissimis moribus, et illo
fine precepti de quo apostolus dicit. Finis autem precepti est caritas de corde puro et
conscientia bona. et fide non ficta. Quod isti si haberent. non essent heretici. Quod autem sequitur
in libro geneseos terra autem erat invisibilis et incomposita. sic reprehendunt
~~quod isti si haberent~~ manichei ut dicant. Quomodo fecit deus in principio celum
et terram. si iam terra erat invisibilis et incomposita, Itaque cum volunt scripturas divinas prius vituperare quam nosse, etiam res apertissimas non
intelligunt. Quid enim manifestius dici potuit quam hoc dictum est in principio fecit deus celum et terram. terra autem erat invisibilis et incomposita, id est in
principio fecit deus celum et terram. Terra autem ipsa quam fecit deus invisibilis erat et incomposita
antequam deus omnium rerum formas locis et sedibus suis ordinata distinctione disponeret. fiat lux. et fiat firmamentum. et congregentur aque et appareat arida et cetera que
in eodem libro per ordinem sic exponuntur quemadmodum possint ea parvuli capere.
que omnia tam magna mysteria in se continent. ut quisquis ea didicerit. omnium hereticorum vanitatem et doleat quia homines sunt, et derideat quia superbi sunt.
Sequitur in illo libro, et tenebre erant super abyssum, quod manichei reprehendunt.
In tenebris ergo erat deus, antequam faceret lucem. Vere ipsi sunt in tenebris ignorantie, et ideo non intelligunt lucem. in qua deus erat antequam faceret istam lucem.
Non enim noverunt isti lucem. nisi quam carneis oculis vident. et ideo istum, quem partim solem
non solum cum bestiis maioribus. sed etiam cum muscis et vermiculis communem habent. illi sic colunt
habitat ut particulam dicant esse lucis illius in qua deus, sed nos intelligamus aliam esse lucem in qua
deus habitat. unde est illud lumen de quo in euangelio dicitur. Erat lumen verum quod illu-